



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Quinta est tertius liber laudationis in eamdem, dicta IV. Non. Iulij, 1558.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

indulgentiam Dei singularem : tam multis beneficiis declaratam, per vulnera Christi salutaria, per sanctissimum sanguinem, quo nostræ sordes eluuntur, vt omnia studia, omnes conatus, omnem industriam, operã, laborem, diligentiam ad sanitatem mentis ad Ecclesiam, quæ communis est omnium nostrum parens, erigendam, ad Christianam Rempub. ex tantis miseriis excitãdam conferamus: vt vbi honestissimis in laboribus vitam hanc quæ breuis est, consumpserimus, accepti sedibus beatorum atque illo clarissimo domicilio, Dei conspectu perpetuo fruamur, cui soli summa laus in omnẽ æternitatem, immortalisque debetur.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI,

Laudationis in B. Elisabetham Lusitania Reginam.

LIBER III.

ORATIO V.

VIDEO Rector amplissime, virique ornatissimi, video magnum quiddam atque diuinum expectare omnes & simul
taci

tacita quadam cogitatione animi non me-
 diocriter commoueri : nam de sanctissimæ
 reginæ morte iure optimo noua quædam &
 inusitata dici oportere putant: & cum supe-
 rioris orationis longitudinem recordan-
 tur, non immeritò, ne idem hodierna luce
 contingat, reformidant. Quid faciam?
 quo me vertam, viri ornatissimi? quam inire
 potero in tanta difficultate rationem? vt
 oratio par & æqualis rebus ipsis videatur,
 elaborem? At vereor ne sim vobis etiam
 molestior quàm anno superiore fui. Per-
 stringam igitur omnia ac res tantas pro-
 perans breuiterque percurram? at timeo,
 vt hanc vestram expectationem laudatio-
 nis extremæ sustinere ac tueri possim. Eum
 statuam (tametsi difficile est in hac rerum
 maximarum copia) eum tamen ipse sta-
 tuam, & adhibebo modum orationi meæ,
 vt ego vestræ satietati occurrisse videar, &
 ipsius rei magnitudini satisfactum esse iu-
 dicetis. Nō enim committam, viri ornatif-
 simi, vt hac vltima oratione mea vos ita
 fessos audiendo, ita sedendo fractos fatiga-
 tosque dimittam, vt à me tardiores ad au-
 diendum in posterum facti esse videamini.
 Quid vultis amplius, me quoad potero o-
 peram daturum esse polliceor, ne plus horâ
 in dicendo consumam. Quâquam vt quem-

admodum sentio, loquar, si quando in oratore latera, vox, copia, in auditoribus attentio desiderata est, & maior quaedam in ratione temporis libertas, omnia maximè sunt hodierno die requirenda: ut enim cygni cum sunt ad moriendum vicini, tum quasi providentes quatum sit in morte boni, suavissimos iucundissimosque cantus cum incredibile delectatione fundere dicuntur; sic maiore quadam ratione omnes boni, qui se in regros castosque servarunt, & in corporibus humanis vitam sunt imitati coelestium, praesentientes aeternitatem illam beatissimam, & immortalia bona mente, cogitationeque prospicientes, supremo vitae tempore, oculis, vultu, sermone, factis, diuinitatem nescio quam praese ferunt animorum, & læti atque hilares veluti cum tacito quodam cantu & voluptate moriuntur. Ac mihi quidem vehementer optandum erat, ut tanquam boni poetae & actores industrii solent, sic ego in hac extrema conclusione muneri & officij mei, diligentissimus esse possem, ut hic ultimus nostrae laudationis annus, tanquam extremus actus, ornatissimus extitisse videretur: sed neque tantum est in me ingenij, neque si esset, magnitudinem rerum consequi possem, neque si possem, ut bis grauis & molestus esse vellem. pro vestra
huma

humanitate & religione, viri ornatissimi;
 nostram orationem, qualis ea cumque de-
 mum est, diligenter & attentè audietis. Ete-
 nim ea beneficia à B. Elisabetha omnes ac-
 cepimus, vt ingratus sit existimandus, qui
 laudes eius non libenter accipiat, etiam si
 non ornatissimè iucundissimèq; dicuntur.
 Mitto ea, quæ viua & mortua mirabiliter
 fecit: non dico quàm multis difficilissimis
 morbis & incommodis grauissimis opi-
 tulata sit: hæc omnia prætereo, quæ ma-
 gna vobis, atque adeò maxima videri ne-
 cesse est: illa quæ forsitan ne sentimus qui-
 dem, quanta sunt, quòd pro nobis omnibus,
 quòd pro vniuersa Lusitania quòd pro im-
 perij columitate semper in Deo Optim.
 Max. placando occupata est: quòd iracun-
 diæ diuinæ manus & tela continet à nobis,
 quòd horribiles pœnas iamdiu debitas sce-
 leribus nostris deprecatur, quas si statim vt
 peccatum quid est, subire cogere mur, quid
 nos, quid ciuitates, quid regna, quid omni-
 nò hominum vita esse posset, aut quæ iam
 exstarent vestigia tatarù rerum atque huius
 tam admirabilis ornatus? quæ si vestros ani-
 mos nihil aut parum mouent, ipsa res, ip-
 sa virtutis dignitas, ipsum mortis genus ad
 audiendum excitare debet. Non enim in
 otio, vt non nemo fortasse vestrum arbitra-

tur, non, inquam, in otio, sed in labore: non in umbra, sed in sole ac pulvere, non in cubiculo, sed in acie; non in virtutis castris, quæ in ripa Mondæ collocaret, sed in ipso certamine atque congressu animam efflavit: & quæ res gloriam sanctissimæ reginæ sempiternam attulit, eandem ei causam mortis existisse cognosceris. Cum nobile illud ædificium, quod Beatæ Claræ virginibus instituerat, perfectum videret ut optabat, cogitabat ipsa secum quantum à Deo Optimo Maximo beneficium accepisset & illius erga se liberalitatem & clementiam sæpè tacitè considerabat se, quod in hac humanæ vitæ breuitate vix sperandum fuisse videretur, ad annos septuaginta propè peruenisse, vidisse tot reges, tot reginas, partim Lusitanix, partim Castellæ, partim citerioris Hispaniæ, partim Balearium insularum, tot principes, tot filios regum, eosque omnes aut cognatos, aut affines suos nihil ampliùs in his rerù humanarum angustiis expectandum esse, plus etià quàm earum inconstantia ferret, sibi esse concessum. Itaque gratias agebat immortales vitæ domino, & auctori Deo pro tanto munere, simulque ab eo quantum poterat, petebat supplex, ut si commodum puraret, liberaret se custodiis corporis, quo soluta

terre

terrenâ ac concreta mole ad excelsum illud
 plenum stellarum domiciliû & illustre pe-
 netraret. Homines vulgò nullâ vitæ diutur-
 nitate possunt esse contenti, nec se satis vi-
 xisse putant, quamdiu aliquid vltra esse co-
 gnoscunt. Da enim supremum tempus, Noë
 vel Mathusalæ non auditam postea exspe-
 ctemus ætatem, quorum alter nongentos
 quinquaginta vixit annos, alter nongentos
 sexaginta nouem; non potest videri diutur-
 num illud, in quo est aliquid extremû, sem-
 per quàm breuissima iudicatur ætas, quæ
 nobis nō sentientibus effluxit. Quâ multos
 sæpenumerò annos nonaginta, centum vi-
 ginti natos querentes audimus, & misera-
 biliter huius vitæ breuitatem lamentantes?
 quàm multos etate cōfectos cum lachrymis
 mori videmus; quòd ab ipso vitæ introitu
 ac limine se repètè reuocatos esse dicant &
 abreptos? Videlicet nihil vmqûa altum illi
 nihil æternum, nihil diuinum cogitarant, &
 omnes animi curas in hoc fragili corpore
 perpetuò defixas habuerunt. Quantò aliter
 illi excellentes viri sentiebāt, qui elati stu-
 dio quodam fruendi Deo, & videndi sacros
 illos beatorum animorum cœrus, vitæ suæ
 longinquitatem dies noctesque deplorabāt,
 & cum dolore vociferabantur cupere dis-
 solui, & esse cum Christo? Quantò aliter

sanctissima regina animata erat? quanto aliter se gerebat, quæ desiderio æternitatis incensa, nihil esse ducebat quantumcumque sibi poterat ætatis accedere, & huius miseræ vitæ fastidio ac satietate iam nimis multos annos se vixisse credebat, ac ferè quot dies, quot horæ, quot momenta præterierant, tot hominum ætates actas & decursas esse, existimabat. Quousque, inquiebat, quousque misera huius corporis curis distinebor? ecquando aderit tempus illud optatissimum, cum ex hoc carcere atque ex his vinculis euolare liceat? cum Imperatoris iussu de vitæ præsidio stationèque decedam cum longè ab hominum societate, longè ab urbibus, longè ab omnibus terris, non in aliqua vasta solitudine, sed in concilio cœlestium, atque Christi comitatu verser? Nihil prorsus, nihil obitum, nihil nisi veram vitam cogitabat, nihil nisi immortalitatem meditabatur. Videte quàm senocatum animum ab omni negotio, quàm secretum à sensibus haberet, quàm liberum & solutum compedibus corporis. Attendite quid fecerit vno anno antè quàm est mortua. Audit in illo antiquissimo & religiosissimo S. Iacobi templo annum illum esse Iubilæi, quo anno quicumque illa loca pie ac religiosè adiissent, modò eos suorum peccato

peccatorum pœniteret ac pigeret, remissionem omnium pœnarum consequerentur, quas post mortem in igne purgante persolvere deberent. Non equidem crederem hoc de tam longo itinere, nisi in historia regum Lusitaniæ legissem. Etenim cum nonnulla, quæ de beata Elisabetha vulgò prædicantur, omissem, quoniam in antiquis litterarum monumentis non reperiebã, non committerem, ut diminuerem apud gravissimos viros fidem & auctoritatem meam, si qua est, si ea pro certis commemorare viderer, quæ neque fama & sermonibus hominum celebrarentur, neque cuiusquam literis memoriæ prodita fuisset. Sed timendum mihi non est, ne hoc à sanctissima regina fieri non potuisse putetis. Non enim hominum excellentium res gestas, imbecillitatis nostræ ponderibus examinari convenit: sed mentes nostras ad illam altitudinem animi excitari, qua dicuntur fuisse, qui gesserunt. Quòd si servari oportet, in eorum factis ponderandis, qui humanis opibus tantùm nitebantur, quid in eorum vita, & moribus faciendum est, qui omnia diuinis præsiidiis circumsepti faciebant? Audite igitur quod magis propter Elisabethæ virtutem, quàm propter ipsius rei probabilitatem, credendum esse iudicetis: in quò

nihil à me iuuandi gratiâ dicetur, latinè loquar, non oratoriè. Regina iam annum agens quartum & sexagesimum, corpore effæto, sed animo forti. cupido fruendi tanto Dei beneficio spontè oblato, quid excogitauit? quid fecit? non aduocauit suos, non viaticum quæri, non pecuniâ depromi iussit: ipsa calceos, & vestimenta mutauit, baculum sumpsit, vnâ aut alterâ comitata feminâ, dedit se in viam molestissimo anni tempore, maximis caloribus, & quam omnia *regna* propter singularem vitæ dignitatem obseruabât, omnibus ignota propter vestitus nouitatem, pedibus tantum iter & eundo, & redeundo confecit. Quid miramini? quid obstupescitis? quid tacetis? nihil est quod dixi, attendite reliqua. Ipsa suam sarcinam pendentē ex humero gestabat anus nobilissima, ipsa quocumque peruenisset, vicatim & ostiatim stipem colligebat ad victum, vt egentes mulierculæ solent, quæ pietate animi, longas peregrinationes susceperunt. non dico quàm sit hoc nouum: non quæro quæ regina idem vnquam in omni memoria fecerit: non contendam hoc iter cum illo itinere, quod eadē regina ad idem templum iam ante susceperat; festinandum est, vt omnia de morte vobis sine fastidio, possim exponere, rem ipsam simpliciter dictam

etiam esse volo: vos eam, viri ornatissimi, suo
 momento poterate. Non multo post quam
 Conimbricam rediit, ecce repetè nuntiatur,
 Alphonsum Lusitaniæ regem ab Alphonso
 rege Castellæ suæ sororis filio vehementer
 dissidere, magnam inter eos contentionem
 ortam esse, ad bellum spectare consilia om-
 nium, nihil esse propius, quam ut ferro
 decernatur: erat alter S. Elisabethæ filius,
 alter ex filia nepos: ut etiam si non haberet
 illum diuinum animum ac de rebus huma-
 nis fœmina humano more sentiret; tamen
 de eorum certamine, quos vnicè diligeret,
 sine magno dolore non posset audire. Pro
 Deus immortalis, quid inter te, sanctissima
 regina atque illos intererat, qui certabant?
 quanta erat dissimilitudo studiorum atque
 voluntatum? tu cum adhuc morareris in
 terris, totam mentem iam penitus in cœlo
 collocaras, illi oblitum rerum cœlestium, ani-
 mum in terras omninò depressum habe-
 bant; tu relicto mortali regno, omne stu-
 dium & operam ad illud immortale conse-
 quendum conferebas, illi æterno relicto, de
 breui & caduco regno inter se omnibus vi-
 ribus cõtendebant: illi alacres ad arma vo-
 cabant suos, & omnia necessitudinis iura vio-
 landa potius, quam modicam vel iacturam
 vel iniuriam ferendam arbitrabantur: tu
 lugebas

lugebas eorum implacabiles iras, & omnia regna potiùs abiicienda esse ducebas, quàm tot sanctissimas necessitudines contemnendas: iam antea sæpè, viri ornatissimi, B. Elisabetha permissu Dei, qui eam vsu virtutum omnium in primis exercitam esse volebat, spectarat acerbissima prælia suorum, & impio ac scelerato sanguine viderat imbuta militum tela: sed propè dicam, nullæ inimicitia, nulla discordia, nullum bellum unquam ei tantum dolorem inesserat: excitabatur enim bellum inter socios & amicos, inter affines, inter cognatos proximos, plus quàm ciuile; auunculus, propè alter parens oppugnabatur à sororis filio; filius sororis, quem liberum loco haberi oportebat, ab auunculo; gener, propè alter filius, socero suo inferebat arma; socer qui parentis grauitatem obtinere debuit, in generum infestas copias ducebat: duo florentissima regna in summum periculum adducebantur; vtrumlibet illa tempestas obruisset, doloris fluctus in reginam turbulentissimi redundarent. Lætaretur parens filij victoria? at victo nepote auia lugeret: rebus secundis nepotis gauderet auia? at mater profligatum filium sine summo luctu videre non posset: quæ cum cogitabat, ac sibi etiam illa proponebat, oppressos & contrucidatos innocentes,

impro

improbos impunè bacchantes in cæde mi-
 serorum, factiosos exultantes audacia, te-
 nues atque humiles fortunis omnibus euer-
 sos, religiones vexatas & sepultas, regnâtem
 & triumphantem impietatem, reges ad vin-
 dicandû tardos, latrones ad prædâdû proie-
 ctos, bello ardentem Hispaniam, multorum
 sanguine, saginatam crudelitâ paucorum,
 omnium facinorum impunitatē infinitâ-
 que licentiam, tum regnorum æternam rui-
 nam, & rerum publicarum, quas maiores
 tanto labore fundassent, miserabilem inte-
 ritum perhorrescebat. non eos timuisse Dei
 numen? non hominum famam? non aviæ
 matrisque conspectum esse veritos? non co-
 gnationem materni sanguinis, & dulcissi-
 mum affinitatis, & propinquitatis nomen?
 O ferreos animos! ô barbaros mores consi-
 liariorum! tantâne esse hominum impro-
 bitatem & scelus, & audaciam, vt duorum
 regum animos, vel naturæ, vel ætatis vitio
 fertentes, dominatus insolentia elatos, exi-
 guo rerû usu parum cautos, in tam inexpi-
 abilem fraudem impellant, vt præ suis com-
 modis tot res sanctissimas pro nihilo ducât?
 Videte obsecro, viri ornatissimi, quantum
 inter B. Elisabetham, & illos interfuit, qui
 impij belli gerendi duces erant & auctores.
 Illi nihil non esse faciendum, nullos nõ ten-
 sandos

randos aditus nullas non quærendas artes existimabant, ut ex aliorum malis & miseria sibi crescere liceret: regina non auctoritatem modo, si quam adhuc retinebat, sed vitam sibi etiam amittendam esse statuebat, ut arma impia ac pernicioſa, de regum iratorum manibus extorqueret. Vocat suos, omnia, comparari iubet sibi & ad filium & ad nepotem eundem esse, prius quam bellum illud calamitosam atque funestum susciperetur. Exstiterunt, ut in huiusmodi rebus solet, qui, cum ipsi prodesse non possent obesse conarentur, tametsi animo fortasse proficiendi magis, quam nocendi voluntate, tempus maximè aversum esse dicebant, ne ipsas quidem bestias vim solis, & æstatis calores ferre posse, iam ætatem illam otio, quam negotio; quieti, quam itineribus magis idoneam videri: modo peregrinè penè confecta & semiuiva rediisti, iam alio cogitas? nõdum satis ex itinere superiore recreata, aliter rursus ingrederis? vix ad has tuas sedes peruenisti, proficisci gestis, semper festinandum tibi, semper eundem, ac redeundum est? semper in labore contentionèque viuendum? quãdo tibi, frui licebit opratissimo tranquillitatis portu, si nũc extrema senectute, iam propè vitæ spatio decurso, in mediis fluctibus turbulentissimis

simis v
di for
videba
tempo
sumus
exacta
Verũ
mus g
factat
honest
sit in
etiam
se gra
heme
dum.
modò
tione
audia
rum,
& cù
ri po
tes i
beri,
vitæ
publ
ætati
si cer
præ
labo

finis versaris, cum iniuriam tibi requiescen-
 di fore iustum & ab omnibus concessum esse
 videbatur? magnum profecto magnum hoc
 tempore regina subis discrimen: non pos-
 sumus non timere vehementer, si hoc tantum
 exacta ætate, laboris itinerisque susceperis.
 Verum, nihil hac oratione, Elisabethæ ani-
 mus grauis & excelsus commoueri, & labe-
 factari potuit: tantum abfuit ut de gradu
 honestaque sententia deiceretur; perman-
 sit in proposito susceptoque consilio, hoc
 etiam, quam antea constantior, quò cum
 se grauius oppugnari cerneret, multò ve-
 hementius confirmabat animum ad resisten-
 dum. Potero videre duo regna proxima, non
 modò vicinitate locorum; sed etiam cogna-
 tione sanguinis, infestis signis concurrerit?
 audiam militum clamorè, crepitum armo-
 rum, equorum hinnitum, & tubarum sonum,
 & cum non diffidam auctoritate mea sedari
 posse hunc tumultum tantum, & ciuita-
 tes infinitam cæde, vrbes euersione prohi-
 beri, rationem potius habendam esse ducam
 vitæ meæ, quam incolumitatis omnium &
 publicæ quietis? Quantum demum est hoc
 ætatis, quod anus decrepita potest viuere?
 si certò scirem sexcentos annos ad eos, qui
 præterierunt, accessuros hoc itineris vitato
 labore; tamen emori malle deberem, quam
 discor

discordiam vniuersæ Hispaniæ tam perniciosam non extinguere conari si possem: nunc cum mihi momentis omnibus mors impendeat, non solum vt pueris etiam imminere dicitur; verum etiam quia perueniam ad supremum cursum ætatis meæ, mori sola recusem, vt conseruem quamplurimos si mihi prorsus iter hoc interitum est allaturum. quinam reperiri vitæ poterit magis optandus exitus? Instat cunctantibus, maturat, proficiscitur ad ea loca, in quibus versari filium audiebat, magnis itineribus contendit. Stremotium est oppidum trans Tagum peruetus, viri orn atissimi, cuius arcem altissima & firmissima turre nobilem, antiquissimi reges in monte præcelso atque edito collocarunt. Huc se Rex Alphonsus Elisabethæ filius fortè contulerat, initium belli cum Castellæ rege facturus. Nam & locus satis munitus erat ad imperû hostium excipiendum, & propter illius regni propinquitatem, ad omnia belli consilia maximè videbatur opportunus: eodem primùm aduolauit sanctissima regina, vt rebus cum filio transactis atque decis, inde in Castellam ad nepotem properaret: sed voluit Deus Opt. Max. tam salutaria mulieris excellentis consilia, ad eum quem optabat, exitum peruenire: qui dubiam non est, quin ob

mu

multa & graua totius Hispaniæ delicta,
 pœnas à duobus potentissimis & florentis-
 simis populis expetere voluerit, cum per-
 miserit plusquam ciuile bellum, tantum, &
 tam luctuosum excitari: statim vt attingit
 Stremotium, cum grandis natu fœmina, as-
 sidua, exhausta laboribus non breuissimum
 iter inepta via confecisset, defatigata & fra-
 cta, in morbum incidit: primò sanè leuiorè,
 sed is magis ac magis ingrauescens, paucis
 diebus Lusitaniæ decus, Hispaniæ præfidiū,
 orbis terrarum lumen extinxit, immò verò
 terris eripuit, cœlo reddidit. O diem illum
 tibi quidem, sanctissima regina, beatissimū,
 sed non minus tristem & acerbum tuis, quàm
 lætū & iacundū! quo die vi morbi confecta,
 ea fugisti, quorum fastidium tibi vitæ satie-
 tatem afferebat; eò migrasti, quo iamdudū
 incredibili animi ardore festinabas; eos in
 solitudine & orbitate reliquisti, quorum in-
 columitatem & quietem, vt bonā parēs, tuâ
 sapientia & auctoritate tuebaris, ad illos
 immortales beatorū cœtus peruenisti, qui
 tibi non oneri, sed æternæ voluptati esse
 possent. Nam etsi ex isto altissimo domici-
 lio, vbi fidei remoto & detracto velo, cum
 incredibili gaudio Deum præsentem intue-
 ris, tantò meliùs tuis, qui iacebant adhuc in
 terris, poteras opitulari, quātò post obitum

Or. p.

P

eras cum illo perenni bonorum fonte con-
 iunctior; tamen quam pacem & tranquillitatem
 hisce gentibus tua vita videbatur allatura,
 eam iure optimo intempestiva mors atque
 discessus credebatur sustulisse: quæ enim
 posterior lux non acerbior priore, aut quæ
 non insequens hora antecedente calamitosior
 duobus regnis opulentissimis illuxit? Vidit
 Hispania & illum hausit, vel acerbissimum
 oculis dolorem: vidit periculosis dubiisque
 temporibus, non consiliis solum & studiis,
 sed armis etiam & castris dissidentes maximos
 reges: aspexit pedestres pugnas atque navales
 non mediocri certamine, nec parua dimicatione
 commissas: luxit ornatissimas naues partim
 captas, partim depressas, & lectissimos
 fortissimosque viros, vel interfectos, vel
 in potestate hostium redactos, cum regum
 cognatorum classes maximæ spe atque animis
 inflammatæ, acerrimis ducibus proxima &
 fœcia littora hostilem in modum vastare
 niterentur. Pertulit direptiones & agrorum
 vastationes Gallicia, quæ cis Anam fluuium
 est regio maritima, ferrum hostile flammamque
 sustinuit: extimuit Castella influentes
 cum pernicie Lusitanorum copias; transtagana
 Lusitania Castellani regis, non sine malo
 sensit aduentum. Quis obsidiones urbium,
 regionum depopulationes, strages,

ges, incendia sine gemitu & dolore commemoraret? Quandiu Elisabetha vixit, viguit pax, valuit sanguis, non sunt affinitatis iura violata post illius discessum omnia spreta ac repudiata iacuerunt: vt regum cōcordia, & simul cum illa floruisse, & eādē elatā funere, vnā sepulta fuisse videatur. O Deus immortalis, magnam & commemorabilem laudem viri ornatissimi. Magnum est reges inter se dissidentes pacificare conari: præclarum, vt id perficias. labores contentionesque suscipere: vitam & salutem in apertum offerre periculum, inusitatum. Quid dicam, quod B. Elisabethæ cōtigit in ipsa functione tanti muneris, & in causa animam amittere? par tantæ rei verbum inueniri nullo modo potest. O animus magnus, & excellens sanctissimæ reginæ: quæ cum in omni vita retinendæ cōcordiæ, extinguendi odij, reconciliandæ gratiæ studiosissima fuisset, non prius destitit iratos hominum animos verbis & auctoritate placare, quam extremum vitæ spiritum edidit. Quod anni negabant tribuebat pietas: quātum de corporis viribus diminuerat senectus, tantum ad animi robur motus ardor addiderat, & cū exacta iam ætate vix se commouere posset, tamen incredibili celeritate, quocūque vocaret conseruandę pacis amor, aduo-

labat. Fuit, fuit illa quondam virtus excellentibus viris, ut cum crudelitatem ferre non possent, nec eos homines esse ducerent, qui semper humanum sanguinem sitirent, mansuetudinem illius magistri cœlestis imitantes, ut obisterent cedi & furori, ac per summos quidem cruciatus non recusarent; vetustum est hoc, quod dicam, & per paucis vestrum fortasse cognitum, tamen propter exempli nouitatem, nemini debet esse inauditum. Posteaquam Roma princeps omnium terrarum publicè veram religionem accepit, cum illa portetosa sacra, magna ex parte abiecisset; tamen adhuc vestigia quaedam veteris impietatis retinebat, & in ciuitate Christo dedita, duorum Apostolorum sanguine consecrata, etiam tunc infestissimus hostis humani generis, quadam ex parte dominabatur. Ludorum diebus exhibebantur paria gladiatorum, qui nudi in medio theatro decertantes, suis vulneribus exprimerent imaginem quaedam præliorum, redundabat miserando sanguine tota cauea, spectatorum animi crudeles, illo tam tristi & luctuoso spectaculo pascebantur, tantaque immanitas hominum mentes errore cæcas imbuerat, ut eum fortiores iudicarent, qui rueret ad interitum audacius, eum misericordia minus dignum arbitrarentur, qui illam

vehe

vehementius efflagitaret : hinc illa verba sunt, *Ferrum recipe, iugulum prabe*: non hominum spectaculis digna, sed carnificina Barbarorum: non ciuitatum nobilium theatris, sed lustris immanissimarum belluarum. Igitur cum Theodosij morte imperiū Europæ datum esset Honorio, Telemachus quidam monachus, vir admirabili virtute præditus, ab orientis Solis partibus Romam venit eo animo, vt illam tantam inhumanitatem funditus tolleret, si posset: videte quam inierit rationem: neminē in ea ciuitate norat, nemini ipse notus erat, ingreditur in theatrum cum cæteris, celebritate ludorū, sedet tacitus inter despectos hominum greges rei gerendæ commodam occasionem expectans, ecce duo procedunt gladiatores valentes & robusti profligata audacia: quos vt ille districtis gladiis congregientes aspexit, exsiluit subito exanimatus dolore, vociferatur, accurrit, tendensque ad eos supplices manus, pro salute ipsorum multis lachrymis orabat, ne se tā nefario scelere cōtaminarent. Cū certamen impediretur, fit repente clamor, fit populi concursus atque lapidario, & qui spectandi causa venerunt, facti ipsi gladiatores, dæmonis instinctu, qui suam euerti regnū iniquissimo animo ferebat, ducem & auctorem pacis obruerunt.

renunciatur optimo principi tam indignum facinus, exarsit, scilicet ut in re tanta oportebat, iustâ quâdam iracundiâ & dolore, itaque qui interfectus erat, eum in numerum diuorum referendum curauit. improba verò & inhumana spectacula penitus è medio sustulit edicto: sic vir ille diuinus quod uiuus precibus & voce non potuit efficere, id extinctus plagis & morte ipsa perfecit. Magna sanè res magna virtus, magna laus, nõ dubitasse suum sanguinem profunderè, ut duorum hominum vitam conseruaret. Verùm attendite, quæso, diligenter, quâta magnitudine animi, vestigia Telemachij persecuta sit Elisabetha. Ille non pertimuit populi furorem districtosque gladios: Elisabetha morbos imminentes senectuti contempsit: illius felicissima cædes finem attulit vetustissimæ crudelitati ludorum: reginæ vita necessaria, nouorum bellorum stirpem ipsâ semênque debebat: ille uiuus gladiatorum salutem quodâmodo remorabatur: huius dilatus interitus inflammationem tectorum, & vrbiû vastitatē retardabat: sed uterque ea fuit altitudine animi, ut mortem contemneret. Telemachus quò certamen impium gladiatorum vel suo sanguine si quo modo posset, obrueret, Elisabetha quò regum finitimorum prælia rãto magis

per

perniciosa, quantò maioribus in acie copiis
 & animis dimicatur, quàm in theatro, vel
 auctoritate sua prohiberet, vel opprimeret
 ruina, & vniuersæ Hispaniæ, quoad eius fie-
 ri posset, pacem relinqueret non ad tempus,
 sed æternam. Quod si tum alieno Reipubl.
 tempore illa virtus non esset erepta (neque
 enim extincta) tametsi verbis & precibus
 iratos regum animos mitigare nequisset,
 & effrenatus ac præceps furor eos à mente
 & consilio deduceret, tamen in ipso cōgres-
 su medioque certamine, collatis iam signis,
 extorsisset arma de manibus, & in gratiam
 quãuis nolentes, quamuis recusantes & re-
 luctantes reduxisset. Meminisse vos arbitror
 quid illa fecerit in pugna filij cū rege Dio-
 nysio, quo animo militum tela contempsit;
 qua celeritate per medias acies sola pene-
 traui; qua prudentia hinc filium placauit,
 inde patrē, quod igitur ad concordiam tantū
 valere re ipsa iam autē didicerat, id in sum-
 mo periculo suorum omisisset? nō ferret ani-
 mi pietas, non sineret publicæ tranquillita-
 tis amor, ipsa pacis conciliandæ vetus con-
 suetudo nullo modo pateretur: vt ad illud
 insigne Telemachii & singulare facinus, qui
 inermis in media se arma coniecit, non ani-
 mus ei defuisse videatur, sed facultas. Vtinā
 diuturnior tibi vita contigisset, sanctissima

regina, neque ipso belli principio discedisses à nobis: non ornatissimas classes demersas maria vidissent: nō agris vastitas, mœnibus excisio, tectis inflammatio, duobus Hispaniæ regnis euersio fuisset illata: aut certè si tanta mala, & tã detestabilẽ pestẽ ab aris & focis minimè repellere & arcere potuisses, impiis tuorum armis obrui te & extingui passa esses, ne omnia collapsa & excisa videres. Atque vt clarius perspiciatis Elisabethæ merita in omnem Hispaniam singularia, viri ornatissimi proponite ante oculos vestros pristinum statum Christianæ reipublicæ, & eũ qui nunc est, mente vobis & cogitatione depingite, veteraque simul & recētia vulnera repetite memoria vt explicatis ordinibus temporum, quæ oculis cernere nō potestis, ea in animo tanquam in vno conspectu videatis: quidquid vbique gētium acceptũ est calamitatis, id à Christianorum dissensione nō secus atque à seminibus arbores ac stirpes, ortum esse coguosceris. In Sicilia & Italia summis opibus, Hispani cum Gallis dimicabant: principes & ciuitates modò Gallorum, modò Hispanorum arma sequebantur: Germani cum Saxonibus, cum Gallis, cum Romanis confligebat: Galli cum regibus Britannorum bella grauissima gerebant: Pannonij in Italiam copias infestas indu

inducebant: Itali & Galli cum ducibus Byzantiis decertabant. Neque verò qui Solis orientis partes obtinebant pacatioribus rebus suis utebantur; omnes insulæ, omnia maria, omnes sinus atque portus, omnes denique terrarum oræ distributis imperiis: miserabili bellorum incendio conflagrabāt. Quod si gentes solum vniuersas, aduersus alias ille furor armasset, etiamsi fuisset hoc ipsum luctuosum ac funestum, tamen aliquantò meliùs cum rebus humanis actum esse videretur: sed vbique locorum exitialis illa pestis ciuiliū discordiarum ab infinita regnandi cupiditate profecta, dominabatur: in Hispania rerum summam alij aliò trahebant; in Italia ciuitates, populi, principes crudelissimis præliis contendebant: in Gallia tumultus, in Britannia seditiones in Germania varij motus populorum, in in Pannonia repentinæ regnorum commutationes, in Thracia proditioes Imperatorum, aliorum creationes, defectiones, urbium oppugnationes, direptiones & alia quæ sine lachrymis commemorari non possunt. Aduocabantur ad Christianorum perniciem & vastitatem à Christianis, Saceracorum, Turcarum; & aliorum hostiū nominis Christiani duces cum maximis copiis; omnis diuina & humana agebantur

& ferebantur. In Syria Ligures volebant ob-
tinere principatum, Veneti resistebant
acriter, & cum Liguribus omnibus viribus
de imperio certabant. Neque res Ecclesiæ
in tanto bellorum tumultu meliores erant.
Episcopi Byzantii, & imperatores à Ro-
mano Pontifice deficiebant eum palam ar-
mis oppugnabant, pestem orbi terrarum
& religionis principi machinabantur: nunc
in Gallia, nunc in Germania summi Ponti-
fices novi creabantur; nunc in ipsa Italia
intra Urbis mœnia existebant, qui sibi
munus illud sceleratè vendicarent. Inter-
cè Saraceni, ac Turcæ gentes inimicissimæ
Christiani nominis, emergentes ex Ara-
biæ Scythiæque latebris Pontum, Paphla-
goniam, Galatiam, Bithyniam, Phry-
giam, Cariam, Lyciam, Pamphiliam, Ci-
liciam, Cappadociam, vtramque Arme-
niam vi ceperunt: inde Syriam omnem,
& Hierosolymam, & Ægyptum, & A-
fricam sub suam potestatem subiecerunt,
confirmatòque imperio duarum ferè par-
tium orbis maximarum, cum in Euro-
pam traiecissent, penè totam Hispaniam
perdomuerunt, Thraciam occuparunt, v-
tramque Mysiam inuaserunt, Macedo-
niam eripuerunt, Græciam subegerunt, to-
tam Pannoniam depopulati sunt, & ma-
ximam

ximam eius partem sub vnam ditionem & imperium subiunxerunt. Atque vt ad hæc nostra tempora deueniamus, quæ non minores calamitates sæpe numero viderunt, occupatis omnium animis intestino bello (tametsi hanc pacem tam æquis conditionibus constitutam, tot sanctissimis affinitatibus stabilitam, tot à Deo precibus omnium gentium & votis impetratam, æternam fore confisimus) tamen dum Christiani principes inter se pugnant atque contendunt, imminet illi cum infinitis copiis, in omnes terras & maria classibus maximis ædificatis & ornatis quocumque libet impue peruagantur: penent in sinum atque in complexum Italiae, Galliae, Hispaniae, & in iis portibus volitant armati, quibus vitam & spiritum ducimus: neque metu aliquo affecti discedunt, sed satietate, cum Christianorum oculos totius terrarum orbis prædonum remi respergant, insulas diripiunt vrbes incendunt, regna ferro & flamma vastant, omnes terrarum oras habent infestas eaque iam immanissimorum hominum audacia processit, vt Gaditano freto in Oceanum erumpere non dubitarint, & partem Lusitaniae maritimae lustrare. In tanta igitur calamitate vniuersæ Reipublicæ

cæ in tanto dedecore Christiani nominis, in tanto periculo omnium gentium, quas reliquas fecit teterrimarum belluarum crudelitas insatiabilis? Fingite animis vnum aliquem existere præcellentem hominem atque diuinum, qui nunc sua sponte nõ humano, sed diuino consilio quod inchoatum videmus auctoritate suâ perficiat, perniciofa Christianorum bella deleat, lites componat, seditiones comprimat inueterata odia penitus extinguat, atque omnium Gentium arma transferat, & conuertat ad illa tam multa tam magna, quæ sunt per discordias amissa, vno consensu conspirate atque conflato repetenda: quantum iudicaretis, huic homini deberi, qui tam breui tempore tantam Christianorum rebus afflictis lucem afferre potuisset: tantum ego Elisabethæ credo omnem Hispaniam debere, atque hoc etiam aliquantò amplius, quod ille vulneribus iam acceptis faceret, si posset, medecinam, regina prius quàm mali quidquam accideret, ne accidere posset providere conabatur: quod etsi perfectum non est, tamen eam pari laude dignam puto, cum vt perficere posset, ad extremum vitæ spiritum elaborarit: mortem enim impendentem cõtemnere potuit, vitam sibi longius propagare non potuit. Quid sanctæ Elisabethæ

cau.

caus
ratio
obit
min
fuit
men
cellu
rat r
uius
die l
ader
præfa
terat
bo in
reuo
mir
tope
quid
mof
hom
tes
libu
reri
fan
pla
cor
rüm
iect
recc

causam mortis attulerit, videtis, nunc qua ratione sit mortua, cōsiderate: etenim in ipso obitu hominum virtute præstantiam, non minus esse solet admirationis quàm in vita fuit sanctitatis. Principio cum non vehementer ægrotaret, quotidie veniebat in sacellum regium, & suo pristino more aderat rei diuinæ cum Alphonso filio; post grauius affligente valetudine & urgente morbo, die lunæ quodam se cubiculo suo cōtinuit: aderat socru laboranti nurus, diligenter & præfamulabatur, & quibuscunque rebus poterat, sanctissimam anî molestissimo morbo intabescentem, ad lætitiā & hilaritatē teuocare videbatur: audite quid euenerit, mirari profectò desinetis, ab hominibus tātopere laudari, quam cœlestes iuuiserint. Equidem non temerè grauißimos doctissimósque viros credidisse arbitror, impiorum hominū, & facinorosorum mentes, migrantes à corpore simulacris & spectris horribilibus, ac furiarum pœnis metuendis perterri, neque vnquam posse consistere; at qui sanctè integrèque vixerunt, eorum animos placidè & quietè discedentes è vinculis corporis, Christi Optim. Maxim. beatorūque omnium præsentia & numine obiecta aliqua specie grata & iucunda, non recreari modò, verum etiam confirmari:

nam

nam credibile non est, aut infestissimos hostes non illis instare morientibus, quos suæ crudelitati iam deditos, quodam modo & addictos esse arbitremur; aut mitissimum parentem non illis adesse in tanto discrimine, quos intelligat sibi dicto semper audientes extitisse. Mitto cætera tametsi magna & admirabilia quæ summa fide & auctoritate homines literis mandauerunt: id solum dicam, quod est quadam ex parte cum reginæ laude coniunctum: Beata Clara, eximia religione virgo, & laborum patientia, cuius humilem & angustam adiculam Innocentius Pontifex maximus, qui fuit quartus hoc nomine, pontificia maiestate sibi cohonestandam esse duxit, ultimo vitæ die Christum I E S U M, eiusque matrem sanctissimam, cæterasque virgines stolis candidis ornatas, ad se ingredientes, hilaris & læta conspexit: nec de tanto gaudio celare potuit comites suas, sed exultans & gestiens quæsiuit, an sacrum illum cœtum, quem ipsa cerneret, viderent. Iustum planè, ac penè debitum erat, vt sanctæ Mariæ reficeretur aspectu, cuius exemplo & institutis castissimæ virginum sacrarum familiæ, Christo initiatæ sunt atque deuotæ. Huius sanctissimæ virginis rationem

&

& mor
etiam
& in
cuta fu
tenon
ta sim
set in
tur, D
bitu at
qui ad
cedere
abfuis
choru
sima se
autem
illo ta
tur, cu
eius s
tum v
valet
natissi
mori,
potest
fuerit
distis
morb
opibu
tus m
sticor

& mores non solum probarat maximè, sed etiam & ante nuptias, & in matrimonio, & in viduitate pro sua virili parte prosecuta fuerat Elisabetha: huius in ipsa morte non esse dissimilem oportuit, cuius in vita similitudinem aliquam assequi studuisset imitando. Vidit cum morbo virgeretur, Dei matrem accedentem virginali habitu atque vestitu, & nurum suam, & alios qui aderant, horrata est, ut illi matronæ cederent, quæ albata veniret; ego verò non abfuisse credo sacrum virginum beatarum chorum, quo stipata Christi parens felicissima solet vagari liberè, quæ libet. Claram autem iam apud superos agentem quis in illo tali conuentu fuisse desideratam opinetur, cum inuiseretur in discessu regina, quæ eius simillima esse voluisset in vita? Multum valet ad bene moriendum, multum valet tranquilla & honesta vita, viri ornatissimi; & ut est valde difficile rectè mori, qui malè vixerit, sic fieri ferè non potest, ut eius mors sit misera, cuius vita fuerit beata. Scitis opinor, ac fortasse vidistis aliquando, quid usu venire soleat in morbis, & periculo præsertim eorum, qui opibus & honoribus antecellant. Qui metus medicorum? quæ familiarium & domesticorum dubitatio? quanta omnium hæsi-

tatio

ratio tractusque verborum? vix iam duos dies viuere potest: at si hoc ipse cognorit, ægritudine animi citius conficeretur, quid igitur inscium periculi sui mori vis, nec opinantem? non est tam citò desperandum, fortasse euadet: at in discrimine salutis oportet confiteri de peccatis: satis est temporis, si res ita tulerit, & vt speramus, non erit necessarium: festinandum adeò non est: vt terreatur. Ita sæpe accidit, vt prius eos qui ægrotant, mors opprimat nihil metuentes, quam ipsi potuerint se ad bene moriendum comparare. At Elisabetha nõ medicorum consilium, non suorum admonitionem, non cuiusquam vocem expectauit, & cum sæpius quot annis peccata confessione expiare consueisset, die Iouis proximo, quàm cœperat morbus ingrauescere, qui dies erat ante diem quartum Nonas Quintiles, vt hic est, vocari iubet sacerdotem, à quo solebat audiri, animoque perpurgato ac delictis soluto, imperat fieri ab eodem sacrificium extra cubiculum, vbi iacebat, sed in eo loco, vt ipsa & quæ gererentur, spectare posset, & accipere quæ dicerentur. O rem nouam & insolitam, ô facinus pulchrum & insigne, de quo quoties cogito; totus animus admiratione defixus, obstupescit! Vtinam adessent

omnes

omne
tam p
audiri
nes in
cubicu
sancti
voce
diant
re diu
cto, i
legera
rum v
si nec
non p
litudi
trice
bo,
ad ara
fedit
Christi
ticum
mum
& qu
dit,
uit è
mi,
thæ
rus
præte

omnes gentes atque nationes; utinam me tam præclarum factum commemorantem audirent sola terrarum vltimarum: ut omnes mortales intelligerent, quæ pietas, qui culcus, quæ reuerentia Eucharistiæ sacrosanctæ debeatur: quantum potero, tantum voce contendam, ut hi saltem omnes exaudiant, qui hodierna die conuenerunt. Facta re diuina, regina summi animi, surgit è lecto, induit vestem illam, quam ipsa sibi delegerat post mortem regis: hoc fortasse mirum vobis videbitur, sed nihil dicam, quod, si necesse sit, vetustissimis literis probare non possim; illo amictu quo fuerat in solitudine & viduitate delectata, nulla adiutrice nemine nixa debilitata quidem morbo, sed diuino numine corroborata, sola ad aram extra cubiculum egressa est, subsedit genibus flexis, sanctissimum Corpus Christi cum fletu, & eiularu sumpsit, viaticum per necessarium ad illud iter extremum in cœlestem patriam conficiendum, & quod mihi multò rem mirabiliorem reddit, hæc illo ipso die fecit, quo migravit è vita. O mirificam submissionem animi, & singularem erga Deum Elisabethæ reuerentiam! Non, ut quondam Petrus Apostolus multitudinem piscium, quos præter expectationem cœpisset, stupefacta

Q

apud se commemorantem totius mundi rectorem & dominum orauit supplex, ut à se discederet: non ut ille Centurio Christi verbis & oratione laudatus? magnitudine earum rerum quas ab eo fieri vidisset, perterrita domum, suam venientem obsecrauit, ne tam humile angustumque tectum ingrederetur; sed cum necesse esset, aut venientem accipere, aut quærere absentem, fœminina, ad eum adire maluit, quam pati ad cubiculum suum accedere omnium rerum parentem & gubernatorem: rediit ab altari ad lectulum, cœlesti cibo recreata & confirmata decubuit. Cùm aduersperasceret, nec medici tam citò moriturum esse suspicarentur, accersuit regem filium suum, multum & diu cum eo altercata est, nec dubium esse potest, quin egerit de pace, cuius rei causa laborem illum & periculum non recusarat; tandem ut ad cœnam iret, admonuit: ille cœnauisse respondit, sed ut gereret morem ægrotanti exiit tantisper foras cum medicis. Vix Alphonfus peruenerat ad ostium cùm repentè mulierum, quæ cum matre remanserant, tumultus auditur & vociferatio: aduolat exanimatus filius, parentem discedentem non sine lachrymis & dolore cōpellat, osculatur aniles manus, quæ sæpe vlcera, sæpe egentibus pedes ab

ablucera
spirauit
cū filio
ac sub
human
nisse, c
animus
in imag
riæ vir
quàm
quam
Maria,
tu me
pronu
fidem
statàn
iam e
vt po
mum
tem a
Obstu
tabel
vox,
labat
vincu
conc
rum
nam
chry

abluerant. Interea regina ad se rediit, respirauit, interruptis, ac morientibus vocibus cū filio de necessariis rebus collocuta est, ac subito se ad Deum conuertens oblita res humanas, cū sentiret illud tempus aduenisse, quo tempore Deo reddendus esset animus à quo eum accepisset, defixit oculos in imaginem Christi suffixi cruci, sanctæ Mariæ virginis opem & auxilium implorauit, quàm sanctissimè coluerat in omni vita, quam in morte nuper viderat præsentem. *Maria, inquit, Mater gratia Mater misericordia, tu me ab hoste protege & hora mortis suscipe,* pronunciauit symbolum Apostolorum, vt fidem suam, quàm maximè manifestam testatamque relinqueret: recitauit, tamen iam eam spiritus deficiebat recitauit tamen vt potuit solemnes preceatione Ecclesiæ, animūque suū è corporis ergastulo fugientem auctori & creatori suo commendauit. Obstupescebant magis magisque sensus, tabescebat totum corpus, debilitabatur vox, intercludebatur anima, ægrius anhelabat: cum beatissimus ille animus solutis vinculis, emergens è tenebris relinquens concretum & mortale corpus, nactus liberum cœlum atque lucem, in illam sempiternam domum triumphans euolauit. Quid lachrymarū ipsum regem putatis profudisse;

vbi matrem illam mortuam aspexit, cuius
 precibus & diligentia saepe numero fuisset è
 summis vitæ periculis conseruatus? quem
 fletum omnium clientium fuisse, quem lu-
 ctum & eiulatum circumstantium foemina-
 rum, quem ploratum pauperum quem do-
 lorem & gemitum Castellanorum, quem
 mœrorem totius Lusitaniæ? obuisse reginam
 zalem speciem, virtutis, exemplum inte-
 gritatis & innocentiae, pacis interpretem,
 omnium ferè regnorum Hispaniæ paren-
 tem? quæ suo consilio ex ferro & flamma
 nõ semel, sed iterum ac sæpius liberauisset?
 cuius etiam si vita iam naturæ debebatur,
 sapientia tamen Reipublicæ videbatur ne-
 cessaria. Quantum detrimētum quarto No-
 nas Quintiles accepisti Lusitania? quantam
 illo die iacturam Hispania fecisti, quam in-
 sanabilis & mortifera plaga fuit omnibus
 ciuitatibus inflicta? perit enim opulentissi-
 morum regnorum dignitas, perit pax, perit
 tranquillitas, perit æquitas; quæ vis Martis
 percussit, quæ diuipuit ira victoriæ, quæ ve-
 xauit militaris furor quæ ferrum euertit,
 quæ flāma cōsumpsit, omnia pariter cum E-
 lisabetha perierūt. Fuit illa quidē certè for-
 tunatissima, quæ non solum vitam laben-
 tem immortalī, breuem æterna, miseram
 beata, vel potius mortem vita commutauit,
 sed.

sed il
 re at
 preca
 adess
 runt,
 dis, v
 rum
 ginæ
 dicer
 mus
 nis, a
 quæ
 tissi
 Elisa
 aduo
 poss
 vt b
 acco
 imp
 pur
 lum
 nul
 odo
 ade
 dau
 que
 flan
 foet
 pel

sed illud etiam consecuta est diuino munere atque concessu, quod à Deo sæpè fuerat precata, vt sibi morienti Alphonsus filius adesset, terræ ipsæ infelices ac miseræ fuerunt, quæ tale vel ornamentum rebus secundis, vel subsidium aduersis perdiderunt. Verum ne magis deplorare mortem quam reginæ facta laudare videamur, & ingrati iudicemur, si vehemētius nostris malis doleamus, quam lætemur illius bonis sempiternis, ad reliqua pergamus. Pauca enim sunt quæ mihi restant, admodum pauca, viri ornatiissimi, sed eiusmodi, vt nihil magis neque Elisabethæ sanctitatē, neque totius populi aduersus eam charitatē & amorē declarare possit: ea, dū breuiter attingo, peto à vobis, vt benignas mihi vestras aures & attentas accommodetis. In funere priscorum regnum & imperatorum, cum improba corpora & impura cremarentur, quorum à manibus nullum facinus, à reliquis partibus corporis, nullum flagitium vnquam abfuisse, ne odoris intolerabili foeditate eiectionis iis; qui aderant, rarissimis lignis semiustulata cadauera, nocturnis canibus dilanianda relinquerentur, magna vis odorum in easdem flammis coniciebatur, vt eorum suauitate, foetoris grauitas ab hominum naribus depelleretur. Quid dicam vnâ horâ ducentas

lut. in
ita Syl-
2.

decē lecticas refertas odoribus arsisse cum
L. Sylla? quid memorem imaginem eius
satis amplam & excellam, ex diuersissimis
fictam odoribus, cum exangui corpore fuis-
se incensam? videlicet qui sic vixerat, vt
ille, & exitum vitæ dignum moribus suis
inuenerat, si aliter atque ille cōbustus esset,
contagione pestiferâ corrupisset, & conta-
minasset ipsum cœlum. Alios prætereo, quo-
rum exitus non dissimilis vitæ, propè par
fuit turpitude. Quàm dispar, pro Deus im-
mortalis, quàm dispar, quam dissimilis so-
let esse mors piorum? quorum corpora san-
ctissima, vel ab omni turpitudine & corru-
ptela, dum viuerent abhorruerunt, sic mor-
tua & exanguia, integra, & à corruptione
aliena, diuino numine conseruantur. Infini-
tum esset narrare de omnibus, quorum è se-
pulchris patefactis atque erutis mira quæ-
dam ac diuina suauitas odoris afflata est:
commemorem de sancto Dominico, am-
plissimæ & religiosissimæ familiæ parente:
de B Thoma Aquinate, egregiâ sapienciâ &
integritate viro: de aliis quamplurimis,
quorum cùm beneficiis immortalibus de-
bitos reddit, tum nomini, virtuti, rebus ge-
stis summâ voluntate tribuit populus Chri-
stianus festos dies. quorum vitam atque fa-
cta viri summa grauitate, & doctrina nobis
suis

suis.
Æqu
tissim
stra
collu
clara
in lu
diuio
coru
quæ
man
beth
inust
re, a
Mar
mac
mer
loco
pus
bea
mal
bau
por
tam
ma
die
ex
di
ru

suis. posteris litteris testata esse voluerunt. *Æquum* profectò, *æquum* erat, viri ornatissimi, ac propè necessarium, vt & illa monstra ex omnium scelerum & flagitiorum colluione nata, illa fœtoris nouitate, declararent mortua, quibus in sordibus, quo in luto, quo in cœno viua iacuissent; & qui diuino quodã, non humano more vixissent, eorum odoris iucunditate ne mors quidem, quæ maximè putatur propria hominũ humana videretur. At hoc certè defuit *Elisabethæ*, quid vnquam magis nouum, magis inusitatum, magis inopinatum in hoc genere, aut vidimus, aut legimus, aut audiui? Mandarat *Alphonso* filio, & *Episcopo Lamaceno*, vt perficienda curarent, quæ testamento fieri iussisset: in testamenti quodam loco sic scripserat; velle iuberèque suũ corpus deportari *Conimbricam*, & in templo beatae *Clarae* à se ædificato sepeliri: reclamabant viri primarij, vehementer aduersabantur: fieri non posse dicebant tali tempore anni, vel itineris tam longi, vel odoris tam tetri molestia: rex imperat fieri quod mater scripserat, proficiscuntur proximo die veneris magno comitatu. Concurrabant ex omnibus oppidis, castellis, vicis, videnti & deplorandi causa virorum & sceminarum greges: sequebantur obliti sui, obliti

suorum, obliti familiæ: personabant viæ
 atque agri plangore & eiulatu miserorum,
 cum se non reginam, sed matrem optimam
 amississe quererentur, nullius auctoritate,
 nullius verbis, nullius minis à sanctissimo
 corpore absterreri poterant: tantus erat om-
 nium amor in Elisabetham, sic exarserant
 dolore, ut omnia pro nihilo ducerent, mo-
 dò officium iustum ac debitum vitâ sensû-
 que parenti persoluerent. Iam aliquântulum
 processerant cum agitatione corporis, &
 concurrentis multitudinis iactatione, rimas
 agere ligneus loculus, quo cadauer erat in-
 clusum, & hac illac fama perfluere cœpit,
 qui prosequeretur regis iussu funus, graui-
 ter & molestè ferre, palàm conqueri, accu-
 sare regum insaniam, qui libidini suæ pa-
 rere mallet, quàm amicorum salutari-
 bus cõsiliis optemperare. Nihil esse facilius
 quàm quietum, & nihil agentem imperare
 cæteris: si modò hic esset, quantò aliter ille
 sentiret quàm cum otiosus in vmbra de la-
 bore itinerèque nostro consultabat? Potuit
 Stremotij in templo S. Francisci maximo
 & ornatissimo interim seruari: potuit de-
 portari Eboram, & in æde sacrarum maxi-
 ma tantisper custodiri cõditum loculo, dum
 in puluerem corpus redigeretur: tum ossa
 auda sine vlllo negotio vel in vltimas terras
 depor

deportari licuisset. Hoc sine tam putridum
 cadauer cum totum iam dilabatur ac dif-
 fluat, integrum poterit Cōimbricam perue-
 nire? reperietur aliquis, qui ad loculum il-
 lum sanie madentem velit accedere? nimi-
 rum ludibrio sumus regibus omnes, qui in
 eorū imperio & ditione sumus, neque satis
 iucūdam illis videtur, quod non summa sit
 omniū molestia perfectū. Cū hęc illi ma-
 ximè vociferarentur, interea vnus accedit
 fortè ad feretrum, exclamat nihil illo odo-
 re fieri, nec cogitari posse iucundius: num-
 quam tantam vlla ex re percepisse volupta-
 tem: alter, tertius, quartus, permulti cū ac-
 cessissent, eandem suauitatem, non sine in-
 gēri admiratione, senserunt: planè diuinitus
 effusus odor non humanitus adhibitus esse
 videbatur, omnium enim aromatum, & vn-
 guētorum odoratus, si vnum in locū omnia
 conferrentur, non tam suavis & gratus fore
 credebatur: veniunt religionis antistites, ve-
 nit ipse Lamacenus Episcopus, mirari om-
 nes, obstupescere, Deo gratias agere, reginā
 laudare, clamare, nihil vnumquam tale vidisse,
 dignam esse Elizabetham, cui idem, quod
 paucis contingeret, quando semper vixisset,
 vt pauci: ita cum ingenti gaudio ac lætitia
 Conimbricam veniunt septimo die, quā
 Strenotio fuerant profecti. Quis verbis con-

sequatur huius ciuitatis incerorem atque luctum, cum illam sine spiritu & anima referre vidit, quam superioribus diebus incolumen proficisci viderat; quæ certè, cum se non solum eius præsentia decoratam, sed etiam liberalitate ornatam magnifico & religioso ædificio: & in annonæ caritate, & fame conseruatâ esse recordaretur magnum & intoleradum dolorè ex eius morte capiebat. Ipsa ripa fluminis, muta & inanima saxa, etsi iure lætabatur illius beata & æterna vita, reginâ tamen suâ, suam illam reginam requirere quodâmodo, ac lugere videbatur. Quantus concursus factus sit, quæ fuerit omnium mortaliû collachymatio, quam miserabilis & luctuosa vociferatio eorû quos in summa inopia reginæ beneficentia pascebat, etsi à nobis dici non potest, viri ornatissimi, à vobis certè cogitari potest. Tandem frequentissimo cõuentu, publico luctu, maxima cum cæremonia, decâtatîs solemnibus precationibus pro mortuis, multisque perfectis sacrificiis, honestissimi quiq; ciues sanctissimû corp⁹ ad sepulchrû iam multo ante præparatum detulerû. Elisabetha ædificato cœnobio, cum intelligeret nihil esse morte certius, nihil incertius tẽpore ipso moriendi, monumentû sibi faciendû curarat è lapide, magnû & excelsam, & in ipso templo beatæ

Claræ

Claræ collocarat: quod ne Mondę crescentis
 inundatione obrueretur (nam iam semel
 acciderat, sed ne iterũ idem eueniret) cũ
 in locum editum ob eam rem ædificatum
 toili iussisset, & in eo per scalarum gradus
 efferendo, ascensu difficili atque adeo per-
 multi homines iam diu molirentur, neque
 illud interea vlla labaret ex parte, im-
 pofuisse dicitur regina baculum suum, ac su-
 bito tam facile fuisse sublatũ, vt non com-
 moueri v^{er}o tibus subiectis, nõ rapi deligatũ
 funibus, sed pedibus suã sponte sequi vide-
 retur. Constitutum est in illo superiore sa-
 cello, vbi nunc cernitur, nitebatur vt etiam
 nunc videtis, octo leonibus, multis vndique
 sigillis ornabatur, vt imago regine pergran-
 dis virginum sanctę Clarę habitu, mani-
 bus inactis, & pedibus instar mortuę iace-
 bat in somno: tunc verò liberalitate mu-
 lierum sacrarum, & pietate magnificentius
 exornatum est: nitent omnia pulcherrimis
 coloribus, & auro & testitudine lignea egre-
 giè depicta reguntur, quę ex omnibus an-
 gulis quatuor columellis affabrè factis è
 ligno sustinetur, quò cũ Elisabethę cor-
 pus deportaretur, & omnium manus atque
 vestes effluente sanie respergerentur; tamen
 qui aderant, inter amœnissima rosaria le-
 ctiſsimosque flores versari sibi videbantur.

Ibi. 1

Ibi conditum est sacrū illud & venerandum
 cadauer, ibi iacet obrutus Lusitaniæ the-
 saurus; qui lapis operuit Elisabetham, idem
 pariter spem pauperum, præsidium inopum,
 perfugium miserorum solatiūque conte-
 xit. At animus cū primū à corpore di-
 scessit, secundo ac felici cursu in illas claris-
 simas piorum sedes penetrauit: quo quidem
 tempore, etsi acerbissimus fuit eorum do-
 lor quos reliquit; tamen longè maior existi-
 tit lætitia cœlestium, ad quos peruenit. Pro-
 cessit enim, vt existimare licet, processit
 obuiam illi venienti Christus Optim. Max.
 cuius salutare cruciatu, & mortem tam piè
 sæpè deplorarat: properauit castissima vir-
 go Dei mater, quā præcipuè venerata e-
 rat: occurrit beata Clara dux multarum
 virginum & magistra, cuius non modò vi-
 tam, sed etiam vestitum ipsum fuerat, tam
 studiosè imitata: egressus est totus virginū
 sanctissimarum & viduarum chorus: pro-
 dierunt omnes beatorum cœtus; & cum in-
 solito applausu in sempiterna sede colloca-
 runt. Cumulabatur illa immortalis gaudio,
 gestiebat, triumphabat, vbi cœlestes orbes
 subiectos sub pedibus suis despicebat: vbi
 se tali frequētia & splendore circumseptam
 videbat in sempiternum tempus immortalibus
 bonis fruituram: vbi præstantem illam
 diu

diuinā
 betis &
 tis are
 bat, pr
 menter
 cupidit
 licias r
 riis, fo
 tem, a
 tasse e
 perum
 dia, no
 rum l
 pias &
 mi lab
 quæ t
 tē co
 ronar
 pta, t
 quam
 fortā
 Vos
 apud
 non c
 cere p
 ac pri
 eis or
 creda
 optin

diuinamque naturam non oculis corporis he-
 betis & tardi, quo carebat, sed acie men-
 tis æterno lumine illustratam, quam retine-
 bat, præsentem intuebatur. Gaudeo vehe-
 menter respuisse ludos pueritiæ, lenocinia
 cupiditatum, voluptatum blandimenta, de-
 licias regni: iuuat fuisse patientem in iniu-
 riis, fortem in periculis, in religione diligen-
 tem, abstinentem in victu: delectat susten-
 tasse egentes, curasse ægrotos, abluisse pau-
 perum pedes, tractasse vlcera, extinxisse o-
 dia, non timuisse armatas acies, non itine-
 rum longitudinem reformidasse, omnes co-
 pias & ornamenta consumpsisse. O felicissi-
 mi labores! contentiones ipsæ beatissimæ,
 quæ tantum præmium assecutæ sunt! ô re-
 ctè collocata certamina, quæ talem mihi co-
 ronam pepererunt! quam si non essem ade-
 pta, tamen tam benigni regis causa num-
 quam quæ feci, me fecisse pœniteret, Sic illa
 fortasse admirans tacita secum loquebatur.
 Vos verò, viri ornatissimi, quantum eam
 apud Deum valere & valuisse cense-
 tis? quid non obrinere, quid non suis precibus effi-
 cere posse putatis? Etenim si vulgò reges
 ac principes, quos in amicitiam receperunt,
 eis omnia concedenda esse arbitrantur, quis
 credat Deum, qui vt maximus est, sic etiam
 optimus, aut tam parum amantem suorum
 esse,

esse, vt nihil eorum precibus cōmoueatur: aut tam morosum atque difficilem, vt nihil cuiusque meritis & gratiæ putet esse tribuendum? Declarat ille sæpè multis rebus mirabilibus & nouis, suā vim atque numen oratu cœlestium, qui multis frequenter, ad sepulchra præsertim, in difficillimis rebus, præsens auxilium suum obtulerant. Sensit Elisabethæ opem, vna ex sanctæ Claræ familia, quæ religiosè osculata loculum molestissimo infanabilique morbo liberata est. Sensit Ferdinandus Stephanns ciuis Conimbricensis, qui in illa turba discedētium cū se acutissimo clauo induisset, nec auelli posset, fidem eius & misericordiam implorans, repētè sanum integrūque pedem aspexit: denique senserunt, qui feбри æstūque iactabantur, qui à dæmonibus vexabantur, cæci, membrīs capti, aliique plurimi, qui cū in opera medicorum & diligentia nihil præsidij sibi reliquum esse viderent: partim ad monumentum magna pietate venientes & fiducia, partim sudaria & lintea quæ fortè retinuerant, adhibentes, non modò leuabantur, sed etiam sani penitus fiebant. Iure igitur sanctissima regina, iure te his honoribus afficimus, qui post mortem iis qui sanctè integrèque vixerūt tribui solent maximi: iure rex ille Ioannes tertius, vt sapientia

pien
nō d
rum
hibu
ret, &
musi
tūm
lebra
hoc r
medi
latur
cessit
statu
dicar
tion
ipse
gnou
metu
diciu
cta,
te co
de te
gè es
fui fo
fidei
resta
vos
quid
stima

pientia sic etiam religione præstans, quem
 nō diffidimus tibi esse comitem in isto pio-
 rum domicilio; tantum studij & laboris ad-
 hibuit, vt hoc à Pōtifice maximo impetra-
 ret, & instituit, vt in hoc Collegio regali,
 musis & pietati dedicato, cū carminibus,
 tū verbis solutis quotānis tuæ laudes ce-
 lebrarentur: iure Paulus Pontifex maximus
 hoc nomine quartus, quē Deo iuuante non
 mediocrem opem Ecclesiæ rebus afflictis al-
 laturum esse speramus regi postulanti con-
 cessit, vt in omnibus eius regnis tibi altaria
 statuere, tibi simulacra tabulāsque pietas de-
 dicare, tibi sacra facere, tibi solemnes preca-
 tiones publico ritu decantare liceret. Ego
 ipse qui nunc primū res tuas vitāmq; co-
 gnoui, quidquid laboris hisce tribus annis à
 metua causa susceptū est, si quid meum iu-
 diciū proficere potest ad ornanda tua fa-
 cta, planè in loco positum benèque apud
 te collocatum esse duco: vel potius quidquid
 de te humana voce dici potest; id ego lon-
 gè esse iudico infra dignitatem tuā. Sed iam
 fui fortasse longior, quā volebam, & quā
 fidei ac promissi mei ratio patiebatur. Quid
 restat nisi vt in hac extrema oratione mea
 vos orem & obtester, viri ornatissimi, si
 quid mihi aliquando quamuis indigno exi-
 stimastis esse concedendum, si huic tan-
 to

to dicēdi labori vllum prēmium dari oportere censuistis, vt hoc specimen virtutis, hāc imaginem vitæ sanctissimæ apud animum nostrum frequenter proponamus. Hanc ego mercedem, pro huius triennij labore à vobis omnibus & peto & flagito: operæpretium me fecisse arbitrabor, si videro vos ad ea imitanda, quæ à me commemorata, ab Elisabetha gesta sunt, satis alacres & paratos esse. Quid enim cogitari aut fingi potest ad honestatem pulchrius, ad delectationem iucundiùs, ad veram solidamque gloriam prædicabilius, ad incolumitatem Reipubl. Christianæ salutaris, quam omnes nos ita viuere, vt digni maioribus illis principibus religionis nostræ, digni Deo parente, digni Sanctorum societate videamur? At laboriosa res est, plena difficultatis, plena negotij, plena molestiæ. Sed per Deum immortalem quousque tandem humi defixa nostra mens erit? quousque spectabimus quæ caduca sunt & breuia? illa quæ sola sunt æterna, negligemus? quousque per angustam hanc hominum sedem contēplabimur, non intuebimur illam amplissimam & illustrissimam domum beatorum? quousque cogitabimus quantum laborarit, quantum sudarit Elisabetha, quid assecuta sit, obliuiscemur? molestiæ nos retardant?

daces

deterrent? magnitudo laboris exanimat? At erit, erit illud tempus aliquando, cum laborasse, vigilasse, decertasse cum vitiis, omnes exorbuisse difficultates, nos vehementer delectabit: cum noster animus, qui naturali quadam veri videndi cupiditate exardescit, in illa diuina & beatissima natura simul omnium rerum genera, partes, vim, proprietates, ordinemque despiciet: cum ratio numine diuino corroborata vigebit & dominabitur, neque poterit à recto & honesto deflectere: cum mens æterno vinculo coniuncta effectori & parenti suo concors & particeps diuinitatis ad supremum honoris gradum euehetur: cum non hominum fama quæ sæpe falsa est, & simulata, sed Dei Opt. Max. & omnium cœlestium, qui nec fallere volunt, nec falli possunt, sinceram quædam & verissimam prædicatione celebrabimur: cum summo & sempiterno bono partiti, in quo rerum omnium pulchritudo continetur, diuitiis affluemus, non labentibus & fluxis, sed immortalibus atque perpetuis: cum nulla ægritudine interueniente, constanti quadam & æquabili voluptate perfruemur, tanto nobiliore voluptatibus corporis, quanto mens sensibus, Deus est ceteris rebus præstantior: cum ab omni metu vacui, ab omnibus periculis & incommodis liberi cer-

Or. p.

R

tissimâ sciemus in omnem æternitatem nos
 esse victuros in illis bonis. Quæ tandem
 erit illa gestientis animi lætitia? quæ gau-
 dia cœlestium? qui cantus? quæ concursatio?
 quanta iucunditas? Ergo ut hæc bona con-
 sequamur tam multa, tam magna, tam ad-
 miranda, tam inaudita quæ ne mens quidã
 & cogitatio capere potest; nõ omnes mole-
 stias, omnes acerbitates, omnes dolores,
 omnes cruciatus perferemus? non contem-
 nemus? non vltro deposcemus? Tu tu sau-
 ctissima regina quæ supra cœlestes orbis
 euecta, læta contemplaris auctore tuum: cu-
 ius lætum festumque diem agitamur quam
 pro tenuitate & inopia orationis nostræ,
 conati sumus ornare: si tibi gratum hoc of-
 ficium, si iucundum exstitit: tu sanctissima
 parens tuis precibus opitulare iis, quos iam
 olim in solitudine destitisti: tuere hunc
 qualiscunque est, si non oratorem tuum, at
 studiosum tui, defende hunc tantum orna-
 tissimorum hominum conuentum, qui me
 de tuis laudibus tam attentè, tam amicè au-
 dierunt: custodi Conimbricensem Acade-
 miam: ab omni Lusitania pericula, famem,
 cædem, flammam, pestilentiam auerte: regè
 Sebastianum, cuius vnus expectatione
 hæc florentissima regna sustentantur: regi-
 nam, & principem Henricum, rectores im-
 perij

perij saluos & incolumes conserua: vt experiamur qui te colimus, quantum gratia valeas apud opificem omnium rerum & gubernatorem. At tu mundi effector & molitor Deus, cuius maiestatem atque numen in Sanctis veneramur: cuius immensam amplitudinem illorum vita, mors, gloria maximè ostendit: tu, sanctissime pater, audi Elisabethæ preces, tibi pro nostra salute supplicantem ne excludas, & omnibus qui eius facta cognouimus, eam mentem inice vt diligentissimè persequamur imitando: quò huius miseræ vitæ curriculo confecto, ad eandem metam peruenientes, sempiternam coronam, tuo munere & concessu capiamus.

PETRI IOANNIS

PERPINIANI,

De arte Rhetorica discenda.

ORATIO VI.

*Spectatum satis & donatum iam rude queris
Mœcenas iterum anti quo me includere ludo,
Non eadem est aetas.*

Licet enim mihi, Patres religiosissimi, venibus isdem affari auditores meos, quibus affatur Mœcenatem suum ille bonus